



**Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. II. An creaturam perfectiones contineantur in eo formaliter, vel tantùm eminenter?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](#)

## DE ATTRIBUTIS IN PARTICULARI.

87

- non est, iudicata parvus non esse, quam esse? Quid item Deus: sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se posset. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est, & omnium est.

Confirmatur: Si daretur albedo separata, & per se subsistens, quæ nullum diceret ordinem ad subiectum, nihil ei de virtute & perfectione albedinis deesse posset: nam alii cui albedini, aliquid de virtute & perfectione albedinis deest, ex defectu recipientis; quia eam secundum suum modum recipit: At Deus est ipsum esse abstractum ab omni contrahibili, infinitum, irreceptum, & illimitatum: Ergo totum entis perfectionem in se continet.

Confirmatur amplius: Quod est infinitum in aliquo genere, omnes illius perfectiones continet: v.g. si dare ut calor infinitus, omnem perfectionem caloris contineret; si poneretur linea infinita, omnem longitudinem occuparet: vel si daretur sphaera immensa & infinita, illa (ut ait Nicolas Cusa, libro de doctrina ignorantia) intras in ambius interminata in amplitudinem, omnes figuræ comprehenderet: Sed esse per se subsistens & irreceptum, est simpliciter, & in genere entis infinitum; cum careat omni limitatio, tam materiali, quam formalis; ut latius expendimus infra, quando agemus de infinite Dei: Ergo illud omnes omnium entium perfectiones eminenter in se continet.

Secunda ratio: Unumquodque instantum est perfectum, in quantum est in actu, imperfectum vero, in quantum est in potentia, cum privatione actus: Sed Deus est totaliter in actu, & nullo modo in potentia; est enim actus purissimus, & omnis potestualis expers: Ergo perfectissimum est.

Præterea: In unoquoque genere est aliquid perfectissimum, à quo cetera sub tali genere comprehensa mensurantur: Sed Deus est primus in genere entis: Ergo est mensura totius bonitatis & perfectionis in rebus, & omnes creaturæ perfectiones in se continet.

Confirmatur: Quæ sunt dispersa in inferioribus, mode eminentiori sunt unita in superioribus: Sed Deus est primus & supremum omnium entium: Ergo omnium creaturarum perfectiones, in ipso eminentissimo modo uniuertur, & continentur.

Denique, ut discutitur S. Doctor h[ab]it[us] art. 2. Quidquid est perfectionis in effectu, debet inveniri in causa efficiente, vel secundum eandem rationem, si sitagens univocum, vel eminentiori modo, si sit æquivocum: Sed Deus est prima causa effectiva rerum: Oportet ergo rerum omnium perfectiones in eo præexistere. Unde Dionysius de divin. nomin. cap. 8. Si per exiles imagines, ad autorem omnium ascendentem, purgatisimis oculis respiciamus, omnia invenimus in omnium causa, uniformiter, & conjuncte. Et cap. 2. docet omnia de Deo affirmari quodam modo & negari; illunque vocat, ιτάντων δια τον ξι πάρα τοπον, id est, Omnium positionem, & omnium ablationem: quia eminenter ponit omnia, tanquam omnia continens, & formaliter omnia auferit; quia à se excludit omnem rationem formalem creatam & limitatam.

E. Dispicet tamen quibusdam, hæc Angelici Doctoris ratiocinatio; quia (inquit) Sol generat hominem, & cauſat albedinem: neutrum tamen est in Sole: ex semine nascitur animal, quod non est in ipso semine; penicillus effingit imaginem,

A quis tamen dixerit, imaginem esse in penicillo? Ergo licet Deus sit cauſa creaturarum, non sequitur earum perfectiones in illo præexistere. Addunt alii, quod cum perfectiones creaturarum sint finita, non sequitur Deum esse infinitum perfectum, ex eo quod illas continet.

B Hæc tamen levia sunt, ac frivola, & rationem D. Thomæ magis confirmant, quam infirmant: certissimum num est hoc principium, effectus in sua causa efficiente præexistit: nam causa efficiens, in hoc à materiali differt, quod hæc in potentia tantum, illa vero in actu præhabeat suos effectus: quomodo enim eos producere possit, nisi eos in se virtualiter præhaberet: nam, ut communiter dicitur, nemo dat quod non habet: Sed agere & producere, est dare esse effectui: Ergo agens præhabet in se totum esse, totamque perfectionem sui effectus: vel formaliter, si sit causa univoca, vel eminenter, si sit æquivoca: vel virtualiter, si sit causa instrumentalis, elevata per virtutem, & motionem principalis agentis. Unde negatur imaginem non esse saltem Virtualiter in penicillo, ratione motionis artificiosa, à qua regulatur, & applicatur ab artifice. Negatur etiam animal non præexistere virtualiter in semine, & hominem in Sole.

C Ad illud quod additur, dicendum est, quod quamvis perfectiones creaturarum, quæ actu sunt, vel sunt, aut fuerint, finita sunt, & in aliquo determinato numero: Creaturæ tamen possibilis quæ latent in omnipotenti divina, tanquam in causa, earumque perfectiones, infinita sunt, saltem in potentia, & sincategorematice, ut loquuntur Philosophi: Deus enim, quilibet productus, potest aliam perfectiorem in infinitum producere: Unde ex eo quod omnium creaturarum possibilium perfectiones, in Deo tanquam in causa continentur, rectè inferit D. Thomas, illum esse infinitum perfectum.

§. II.

An creaturarum perfectiones continentur in Deo formaliter, vel tantum eminenter?

N Notandum primò, duplex esse genus perfectionis: Quædam dicitur simpliciter simplex, & ea est quæ in suo conceptu formaliter, nullam includit imperfectionem, & à Theologis, cum Anselmo in Monologio cap. 14. definitur, quæ est melior ipsa, quam non ipsa: sive quam melius est absolute habere, quam non non habere. Hujus generis est sapientia, vita, intellectio, &c. absolute enim melius est vivere, & esse sapientem & intelligentem; quam carere vitam, intelligentiam & sapientiam. Alia est perfectio secundum quid, quæ in suo conceptu, ita concludit imperfectionem aliquam, ut ab ea separari nunquam possit: Unde absolute, non est melius omni enti illam habere, quam eam carere. Hujus generis est moveri, ratiocinari, & omnes differentiae, sive specificæ, sive numericæ creaturarum, à quibus rationis entis creari & limitari, præscindi, & separari possunt.

E. Notandum secundò, aliquam perfectionem contineri posse in aliquo tripliciter: Primò formaliter, sicut rationalitas in homine: Secundò eminenter, sicut calor in Sole: Tertiò virtualiter, sicut planta in semine. Rursus aliquid potest esse in aliquo eminenter duobus modis, scilicet eminenter formaliter, sicut vegetativum & sensitivum, in anima rationali; & practicum &

## DISPUTATIO QUARTA

speculativum in Theologia; vel eminenter virtualiter, sicut calor in Sole. Denique aliquid potest esse in alio eminenter formaliter, duobus modis: scilicet perfecte, ut quando inferius continetur in superiori, a primo gradu, usque ad ultimam differentiam, etiam individualem; & imperfecte, quando scilicet in eo continetur, solum quod rationes generales, & genericas, non verò quantum ad rationes atomas & individuales. His positis.

24. Dico primò: Perfectiones omnes simpliciter simplices esse in Deo formaliter eminenter.

Probatur: Deus est summè & infinitè perfectus, at ostendimus §. præcedenti: Ergo formaliter in se continent perfectiones omnes quæ sunt tales simpliciter, & quæ nullam imperfectionem in se includunt: Atqui perfectiones simpliciter simplices, in conceptu formaliter nullam dicunt imperfectionem: Ergo in Deo formaliter continentur.

Confirmatur primò: Cùm Deus sit id quo nihil majus aut melius excogitari potest, ei tribuendum est quod est melius: Sed perfectio simpliciter simplex est melior ipsa, quam non ipsa, ut dicit Anselmus: Ergo formaliter Deo tribuenda est.

Confirmatur secundò: Hujusmodi perfectiones prædicantur formaliter de Deo: dicitur enim Deus formaliter intelligens, sapiens, justus, misericors: Sed prædicari sequitur esse, & modus prædicandi modum essendi: Ergo illæ perfectiones sunt in Deo formaliter.

Quod autem in illo sunt etiam eminenter, ex eo patet, quod sunt in illo sub ratione altiori, & eminentiori, quam in creaturis: in ipsis enim sunt accidentia, qualitates, habitus: & habent modum essendi finitum, & limitatum: in Deo autem sunt substantia, & habent modum essendi infinitum & illimitatum.

Dico secundo: Perfectiones secundum quid continentur, non sunt in Deo formaliter, sed tantum eminenter, eminentiā perfectiā, ita ut illas contineat, non solum secundum rationes communes & genericas, sed etiam secundum rationes specificas & individuales.

25. Probatur prima pars: Impossibile est aliquam imperfectionem esse formaliter in Deo: Sed perfectiones secundum quid involvunt inseparabilitatem & impræscindibilitatem in suis conceptibus formalibus aliquam imperfectionem, ut constat in rationalitate, hinnibilitate, motu, discursu, &c. Ergo non sunt formaliter in Deo.

Confirmatur primò: Quae sunt formaliter in Deo, de illo formaliter dicuntur, ut patet de sapientia, potentia, justitia, & aliis perfectionibus, quæ quia sunt in Deo formaliter, de illo formaliter prædicantur: At perfectiones secundum quid de Deo formaliter non dicuntur: Deus enim non potest dici corpus, nec leo, aut agnus, vel lapis, nisi metaphorice: Ergo illæ non sunt formaliter in Deo.

Confirmatur secundò: Si perfectiones secundum quid continentur, essent formaliter in Deo, sequeretur quod Beati videntes essentiam divinam, cognoscerent distinctè omnes creaturas possibles, secundum perfectiones illarum; & sic quod comprehendere divinam omnipotentiam: Consequens est falsum, ut ostendemus in Tractatu de Visione Beatifica: Ergo & Antecedens. Sequela Majoris probatur: Ut enim ibidem docetur, Beati cognoscunt distinctè, per

A lumen gloriae, & visionem beatificam ea omnia quæ sunt in Deo formaliter, ut essentiam, attributa, & relationes &c. Ergo si perfectiones secundum quid continentur, in Deo continetur formaliter, quilibet beatus, ex vi visionis beatifica, eas cognoscet.

Secunda pars etiam suadetur: Deus est causa efficiens, non univoca, sed & equivoca omnium creaturarum: Ergo debet illarum perfectiones, in se eminenter præhabere. Probatur Conscientia: causa enim efficiens, cùm ratione quæ est efficiens, debet in se virtualiter, vel eminenter præhabere effectum quem producit, ut supra ostendimus: cùm vero ratione quæ est & equivoca, debet illum excellentiōri, & perfectiori modo, & sublati imperfectionibus, in se præhabere, ac proinde eminenter, ut constat in Sole, & aliis causis superioribus.

Quod autem continentia illa eminentialis, sit perfecta, & se extendat non solum ad rationes communes, & genericas, sed etiam ad atomas & individuales, docet Sanctus Thomas infra quest. 14. art. 6. ubi hæc scribit: Omnia Deo praexistunt, non solum quantum ad id quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quæ res distinguuntur. Et sic cùm Deus omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria, ut unitas ad numeros, vel centrum ad lineas, sed sicut perfectius actus ad imperfectum, ut si dicerem homo ad animal, vel senarius qui est numerus perfectus, ad imperfectos sub ipso contentos. Ex quo ibidem inferit, Deum cognoscere res omnes creatas, non solum in communi, & secundum rationes universales & genericas, sed etiam distinctè, & in particuliari, & secundum differentias atomas, & individuales.

Hinc habes, perfectiones omnes creaturam, multò perfectiori, & eminentiori modo in Deo contineri, quæ animalia, & plantæ in virtute Solis, & aliorum corporum cœlestium: nam Sol, & corpora cœlestia. Non attingunt per se primum in rebus inferioribus, nistrationem viventis, aut corruptibilis, quæ cùm sit potentialis, & genericæ, non includitur in ultimis illarum differentiis, & sic non continent res inferiores, nisi continentia quadam eminentiali imperfecta, & se extendente solum ad rationes communes & genericas: Deus autem suā cauitate, & omnipotentiā, per se primum attingit in rebus creationem entis producibilis, quæ per se primum correspondet universalissimæ cause: unde cùm ratio illa sit transcendens, & formaliter imbibita in modis, & differentiis creaturarum, Deus illas continet modo quadam eminentiali perfectissimo, & se extendente, non solum ad rationes communes & genericas, sicut continentia eminentialis Solis; sed etiam ad rationes atomas & individuales.

Mirabiliter divini esse eminentia & comprehendens, significatur in facris litteris, præcipue in visione illa Ista cap. 46. ubi dicit, Vidi Dominum sedentem super solum excelsum, & elevatum, & plena erat domus maiestate eius, & ea quæ sub ipso erant, replebant Templum. Seraphim stabant super illud, & clamabant Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Prima enim proprietas divina continentia, scilicet eminentia, declaratur in eo quod attribuitur Deo celitudo, quando dicitur, quod sedet super solum excelsum

sum & elevatum. Comprehensio vero totius entitatis & perfectionis que in creatura reperitur, denotatur in eod quod Deus depingitur, veluti amictu gloria, ad significandam plenitudinem maximam divini esse, ambientis & continentis totum esse creaturarum. Ad explicandum vero quod est Dei continet omne esse creaturarum, sine illa admixtione defectus, & seclusis imperfectionibus potentialicatis, limitationis, compositionis, &c. Seraphim clamat Sanctus, Sanctus: Sanctus enim idem est ac puritas; & ad hoc amplius declarandum, ter vocatur Sanctus, ut hac tripla repetitione denotetur, puritatem illam esse summam, & infinitam, & ab omni impuritatibus macula, & imperfectionis fece prorsus immunitam. Unde Augustinus, vel Author libri de spiritu apud Augustinum regno 9. Deus est sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, sine tempore semper immutatus, sine morte vita, sine infinitate fortis, sine mendacio verus, sine loco ubique totus, sine situ ubique praesens, sine extensione omnia implens, sine contractione ubique occurrens, sine motu omnia transiens, sine statu intra omnia manens, sine indigentia omnia creans, sine labore omnia regens, sine mutatione omnia mutabilitas faciens.

## §. III.

Demonstratur Deus simul cum creaturis, non esse quid maius, aut perfectius, etiam extensivè, quam Deus solus.

**D**ico tertio: Deus cum creaturis non est aliquid maius & perfectius intensive, sed nec extensivè propriè, quam Deus solus. Est contra Durandum, & quoddam alios: est tamen D. Thome 1.2. questione 34. articulo 3. ad 2. & questione 5. de malo, art. 1. ad 4. & in 3. sent. dist. 5. quest. 2. art. 3. ad 2.

Probatur primo conclusio ex Scriptura, & SS. Patribus: Isaia 40. tota creaturarum universitas, cum Deo collata, dicitur esse quasi stilla stulta, & omnes gentes quasi non sint, sic esse corameo, & quasi nihilum & inane reputari: Sed ex accessione nihil, esse non crescit, sed potius decrescit: Ergo nec ex accessione creaturarum augetur & crescit divina perfectio. Unde Augustinus tractatu 11. in Joannem. Si fueris sine Deo, minor eris; si fueris cum Deo, maior Deus non eris: non ex te ille maior, sed tu, si non minor. Item Gregorius Nazianzenus supra relatus, comparat Deum Oceanum, & vocat essentiam divinam πλαγας οικους, id est immensum quoddam Pelagus essentia. Sicut ergo Oceanus sic à natura dives est, sic seipso abundans, ut nec adventitiis aquis crescat, nec perpetua aquarum suitor labentium fugā decrescat; ita Deus, nec incrementa, nec decrementa patitur perfectionis, semper plenus, semper abundans, & super effluens.

Probatur secundo ex D. Thoma, qui loco citato ex 3. sententi. dicit: Bonum creatum se habet ad incrementum, sicut punctum ad lineam: Sed punctum, cum sit indivisibile, additum linea non facit maius: Ergo nec creatura addita Deo. Item loco §. 1. citato ex summa contra Gentes, docet, quod divinum esse se habet sicut ens abstractum abstractione formalis, respectu aliarum perfectio- num: Sed ens abstractum abstractione formalis, & Angelus verb. gr. non sunt quid perfectius, quam solum ens abstractum; si quidem habent se sicut includens & inclusum, & quidquid perfectionis

Tom. I.

A est in Angelo, clauditur in ente sic abstracto: Ergo etiam Deus & creatura simul sumptus, non faciunt aliquid maius & perfectius, quam solus Deus.

Probatur insuper conclusio rationibus D. 32. Thomae, locis citatis. In pribris enim infinitum, ex additione alicuius finiti, non potest fieri maius, ut docet Aristoteles: Sed Deus est simpliciter, & in genere entis infinitus, ut infra ostendimus; perfectiones vero creaturarum sunt limitatae & finita: Ergo creatura simul cum Deo, non faciunt aliquid maius & perfectius, quam solus Deus.

Secundò, Deus est ens per essentiam, creatura entia per participationem: Unde sicut participatio alicuius rei, non ponit in numero cum re cuius est participatio, ita nec creatura, in ratione perfectionis, ponunt in numero cum Deo, e- junque perfectionibus.

Tertio, Quando aliquid additur alteri ejusdem rationis, tunc fit aliquid maius, ut si linea addatur linea: ceterum si addatur aliquid diversa rationis, non fit maius, aut perfectius, ut si linea addatur multa puncta: Secundum perfectio creatura est diversa rationis, & ordinis inferioris ad perfectionem divinam, & plus ab illa distat in ratione perfectionis, quam punctus à linea in ratione quantitatis: nam linea & punctus, saltem reducti, ponuntur in eodem predicamento, & aliquo modo convenienter in ratione quantitatis: Deus vero & creatura, se totis diversa sunt, & ne quidem in genere convenienter: Ergo creatura simul cum Deo non faciunt aliquid maius & perfectius, quam solus Deus.

Denique, Sicut tempus additum aeternitati non augmetat nec extendit durationem ipsius: quia omnes durationes illi inferiores, in ea eminentissimo modo continentur: ita Deus & creatura non sunt aliquid perfectius, etiam extensivè, quam solus Deus; quia similiter tota perfectio creaturarum, etiam numerica, in Deo perfectissime continetur.

Confirmatur: Mundus supra divinam perfectionem nihil aliud addit, praeter dependentiam, limitationem, & imperfectionem: Sed ex additione dependentia, & imperfectionis nequit augeri vel extendi divina perfectio: Ergo creatura addita Deo, non possunt facere aliquid maius & perfectius, etiam extensivè propriè. Quod ad hoc, quia extensivè improprie, aliquo modo Deus & universum efficiunt maius, in quantum sunt plures, & plures modi habendi eandem perfectionem, sicut plura puncta faciunt maius extensivè improprie, cum linea; non quod augeant eam extensivè, sed quia sunt plura numero.

## ARTICULUS III.

## De Bonitate Dei.

Ad questionem 6. Divi Thome.

**Q**uæ D. Thomas docet quest. 5. de bono in communi, philosophica sunt, & supponenda potius ex Metaphysica, quam fisiū expoundenda. Quare his omissis, solū hic agemus de bonitate Dei, de qua meritò dici potest illud, quod ait Augustinus de gloria Paradisi: Desiderari potest, concupisci potest, suspicari potest, verbis explicari non potest. Tract. 34.  
in locan.  
§. unius.

M